



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficult. 2. Fundamentain Oppositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

objecti formalis fidei nihil Creatum ingreditur nisi ipsa Deitas in se, in quantum est veritas prima. Et sicut quamvis transeat Deus à non esse se clarè manifestantis, ad esse se clarè manifestantis, nihilominus ipsa manifestatio passiva, non ingreditur rationem motivam formalem visionis. Sic etiam nec in fide ingreditur. *Neque valet si dicas* quia se non per aliud manifestat Deus in Visione Beata. *Inferetur enim:* Ergo etiam non per aliud, habet rationem & Auctoritatem moventis. Deinde quamvis non per aliud manifestet se DEUS; tamen per aliud à se, transit à non esse manifestantis se in actu secundo, ad esse manifestantis se in actu secundo; & hoc in genere principii effectivi est lumen: & in genere causæ ut ita dicam formalis, est ipsa visio Creatæ: quæ ipsa non ingreditur rationem objectivam beatitudinis, sed est ut quo, & tanquam tendentia ad Beatificativum. Sic etiam revelatio passiva, cum sit effectus Divinæ veritatis manifestantis, non erit etiam motivum formale objectivum: & sicut in hoc concreto: Deus est in actu secundo se manifestans; quidquid creatum est, rationem motivam non ingreditur. Sic nec in hoc concreto: DEUS est in actu secundo revelans, quidquid creatum est, ingreditur rationem objectivam motivam. Jam autem paritatem fidei & visionis fundat Auctoritas S. Pauli, *nunc in speculo, & in enigmate. Neque valet ulterius si dicas.* Quod reprobet beati aliquo Creato, consequenter nihil creatum ingredi potest beatitudinem: dicam enim similiter, repugnare huic termino *summè infallibile* nisi aliquo creato: quia quod creatum est, hoc ipso, summè, quæ tale, infallibile non est, etsi per te non repugnat, saltem inadæquatè aliquid creatum ingredi motivum actus summè infallibilis; urgebitur quod per te, non repugnet aliquid creatum, beatitudinem formalem inadæquatè constituere. Tum quia non videtur esse major connexio inter Deum ut in actu secundo dicentem, & eius passivam revelationem, quam sit inter verbi gratiâ relationem & terminum, inter actum DEI liberum & eius connotationem: & universaliter quam sit nexus inter entia connotativa, & eorum connotata. Sed in istis, terminus & connotatum, non ingrediuntur rationem objectivam, sed merè se habent per modum extrinsecorum & petentium nonnisi cointelligi. Ergo etiam idem dicendum de revelatione passiva, comparata ad veritatem primam in dicendo. In aliis etiam materiis signum non transit in rationem formalem signati, verbi gratiâ: fumus est signum naturale ignis, nec transit in rationem formalem ignis; hedera est signum vini vendibilis, nec transit in rationem formalem vendibilitatis. Sonus vocis, est signum conceptus, nec transit in rationem formalem conceptus. Ergo & revelatio passiva, quæ est signum motivi formalis fidei,

hoc est Dei dicentis, non transibit in rationem motivi formalis.

Tum quia in fide humana, si rigorosè loqui vellemus, verba præcisa Petri, non habent rationem motivam assensus: verba enim non plùs habent, quàm quod sint signa ex placito, interni conceptus. Unde non est, cur illis tribuatur vis motiva, nisi tanquam signis veritatis, & applicationibus illius. Dixi *rigorosè* loquendo: quia moraliter, cum nostra fides & cognitio à sensibus pendeat, secundum hoc, etiam verbis, rationem motivi damus. Et certè pone verba sola, & non adde illis veracitatem Petri, quam habebunt vim ad conciliandam sibi fidem; pone autem veracitatem Petri, pone item me perspicere conceptum illius ad me directum, certè eo casu, movebit me veracitas Petri. Ergo apparet verba assumi non tanquam motivum, sed nonnisi tanquam instrumentum illius, quod solum me movet. Rursus inter Angelos datur etiam fides, ut ita dicam Angelica, secundum quam, unus, credit alteri dicenti, quæ dictio Angelica, in quantum stat in directione conceptus, certè in hac sententia, fides Angelica innitetur soli præcise conceptui Angeli, quem mihi manifestat. Ergo etiam fides Divina, potest inniti soli Auctoritati Divinæ, licet requiratur tanquam conditio, & aliquid extrinsecum: quia ego non possum penetrare ad internam Dei locutionem. Sed finge per impossibile te attingere ad Dei conceptum & dictionem internam, ipsam in se, & non te videre, ipsummet Deum, nec te habere evidentiam visionis: eo casu, cur non poteris credere, & tamen tunc, nullum extrinsecum erit motivum tuæ fidei. Ergo apparet, rationem motivam, soli illi competere dictioni internæ, quantumvis requiratur aliquid extrinsecum, eo quod ad ipsam dictionem internam pervadere non possumus.

Punctum Difficultatis 2.

Fundamenta in Oppositum.

OBJICIUNTUR Primò. Variæ Auctoritates Scripturæ & Patrum quæ videri possunt apud Suarez, Valentiam & Ariagam, quæ ostendunt in assensu fidei, attendi ad revelationem Divinam, ejusque testimonium.

RESPONDETUR. Explicando has omnes Auctoritates, quod procedant de testimonio & dictione Dei activæ, non verò passivæ, nisi tanquam connotato, applicatione, effectu illius prioris. Vel certè tribuitur revelationi passivæ Auctoritas Divina figuratè & tropicè, nempe signum accipiendo, pro re signata.

OBJICI Secundò Lugo. Se non intelligere, quomodo prima veritas sit tota ratio formalis assensus. revelationem verò non esse rationem formalem, sed solum applicantem: Non enim minus assentior mysterio Trinitatis, quia Deus revelat,

revelat, quàm quia Deus est prima veritas, nec minus me movere unum quàm aliud, sed utrumque per modum duplicis præmissæ; non autem videtur, quomodo una præmissa sit per modum rationis formalis motivæ, & alia per modum Conditionis.

RESPONDETUR. Revelationem si sumatur activè verè esse rationem motivam formalem; & solam veritatem primam præcisè, prout non dicit veritatem primam in dicendo, non esse sufficiens motivum fidei: licet revelatio passivè spectata, non sit istud motivum, sed connotatum motivi. Illud quod adfert de duabus præmissis non urget: assumitur enim hæc Major: quòd aliquid ingrediatur præmissam, non est eo ipso objectum formale motivum assensûs, vel ratio formalis. Probat hoc Inductio. Quia quando dico in præmissa, ignis applicatus urit, hic ignis est applicatus. Ergò urit; non sequitur exinde applicationem, esse rationem formalem igniendi, quæ ignitio, est objectè sumpta Conclusio, cùm Formalis Conclusio sit Actus, de illa ignitione. Rursus possunt poni in præmissis, ipsa motiva credibilitatis dicendo verbi gratiâ. Omne quod Deus dicit, & est mihi per motiva credibilitatis evidens moraliter illud credendum est, nec tamen eo ipso motiva credibilitatis, sunt ratio formalis credendi, quæ omnia accipienda hoc sensu, quòd scilicet applicatio verbi gratiâ non sit ratio formalis, respectu objectivè sumptæ Conclusionis, licet sit ratio formalis, respectu sumptæ formaliter; ita ut etiam revelatio passiva, non sit ratio formalis, respectu sumptæ objectivè Conclusionis fidei. Quorum omnium Ratio est: quia præmissæ non sunt determinatæ, ut in illis non nisi rationes Formales ponantur; cùm possint etiam poni Conditiones; quâ Majori stabilitatè assumitur aliud principium, quòd idem debeat esse objectum Conclusionis, quod est præmissarum: Si ergò præmissæ aliquid important, non nisi pro Connotato, & non tanquam rationem formalem, etiam Conclusio respiciet illud tanquam Connotatum, & non tanquam rationem formalem. Quia ergò ex dictis supra, revelatio passiva, ingreditur quidem præmissam assensûs fidei, sed ingreditur tanquam Connotatum, fit ut revelatio passiva, non sit motivum formale fidei. Hæc ergo propositio; Quod ingreditur præmissam assensûs credendi, est motivum credendi; distinguitur: est motivum credendi, si non ingreditur tanquam connotatum, Concedo propositionem. Nego autem si ingreditur, tanquam Connotatum.

INSTAT Primò Koninck. Id in aliquo assensu habet rationem objecti formalis, quod est medium seu ratio nos movens ad assensum, ut patet in assensu Conclusionis ob evidentiam præmissarum & consequentiæ. Atqui ratio, movens me ad assensum fidei Divinæ, est testi-

monium DEI, ideo enim credo: quia DEUS testificatus est. Ergò.

RESPONSUM distinguendo Minorem. Ratio movens ad assensum, est testimonium DEI activum, & secundum id quod dicit intrinsecè. Concedo Minorem; testimonium Dei, secundum quod spectatur passivè, & tanquam aliquid extrinsecum, connotatumque, movet me Nego Minorem. Paritas etiam de præmissarum evidentia & consequentiæ non tenet, quia posito, quòd illa evidentia Præmissarum & Consequentia, non esset motivum assentiendi, non posset reperiri ratio ulla assentiendi Conclusioni. Quamvis autem ratio assensûs fidei, non sit revelatio passiva, sed se habeat nominè per modum connotati, manet adhuc motivum, nempe veritas prima in dicendo, quoad suam intrinsecam spectata.

INSTAT Secundò. Ex dictis sequi, quòd revelatio passiva respectu assensûs fidei, ita se haberet, sicut se haberet locutio ejus, qui mihi ostendit aliquam Conclusionem sequi ex præmissis per se notis, hoc autem apertè est falsum, quia sic res creditæ, deberent aliunde quàm ex testimonio Dei habere, quòd sint veræ.

RESPONDETUR. Concedo interim aliquam, si procedat de revelatione passiva. Res etiam creditæ habebunt aliunde, quàm ex testimonio Dei passivè sumpto, & secundum Connotata, suam veritatem: nempe à testimonio Dei sumpto activè, & secundum suam intrinsecam.

INSTAT Tertiò. Ad Objectum formale fidei, requiritur vera Dei testificatio: sola autem interna Dei locutio, nisi accedat aliquid externum signum, nequit respectu nostri esse testificatio, externumque illud signum, componet unam cum interno actu, locutionem.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare, quia probaret cœnæ partem, esse temporalem vespertinum, quia nisi illud accedat, non erit consecratio illa, cœna. Directè ex dictis distinguitur minor. Sola interna Dei locutio, nisi accedat aliquid lignum, tanquam ratio formalis motivæ, non potest nos movere. Nego Minorem. Nisi accedat tanquam Connotatum, applicatio, & præcisè significatio ejus, quod habet rationem motivi. Concedo Minorem. Distinguoque Consequentem Nego Consequentiam. Componet autem passiva revelatio unam locutionem, unitate, quæ est inter signum & signatum, inter connotativum & connotatum.

Objicit Tertiò Amicus. Testificatio externa Dei, habet eandem certitudinem, quam habet increata veritas. Ergò non minus infallibiliter movebit. Antecedens probatur. Nam testificatio Dei, est actus secundus, directus, & imperatus à prima veritate: testificatio enim Dei, est ipsa locutio Dei, per quam nobis sua secreta manifestat: implicat autem actum directum.

R. P.
THE MLOI
zia nowsk
Tom. 1. c. 2
D. VI

Actum & imperatum à voluntate DEI, non habere eandem certitudinem & infallibilitatem, quam habet veracitas DEI: nam si actus hic posset esse fallibilis, & ipsa veritas prima, à qua immediate dirigitur, fallibilis esset. Consequentiam probat. Testificatio DEI, proponitur intellectui credentis, ut constituens unum cum prima veritate, & ut actus secundus, cum primo. Ergo non est ratio, cur potius sit conditio & non ratio formalis assentiendi.

RESPONDETUR. Testificationem externam activè sumptam, habere increatam summam certitudinem; non tamen testificationem externam passivè & secundum connotata spectatam. Testificatio etiam DEI, nonnisi secundum intrinseca spectata, & activè, est actus secundus, imperatus ex modo nostro concipiendi à prima veritate: non enim actus ille, secundum id quod dicit intrinsecè, est quid Creatum. Deinde cum illa revelatio passiva, sit quid Creatum, non potest ei identificari certitudo increata seu summa: consequenter non erit ipsa secundum se, motivum summè infallibile; sed connotatum motivi summè infallibilis. Actus item ille imperatus, constituit Unum cum imperante, sumptus secundum id, quod dicit in recto, quoad intrinseca & activè: nam sumptus præcisè secundum quod connotat aliquid Creatum, constituit Unum Unitate signi & signati, connotativi & connotati. Quando autem querit Amicus, quid desit revelationi externæ, quo minus sit formale objectum, responsum est in probationibus Conclusionis.

INSTAT idem. Nequit intellectus credentis, assentiri veritati revelatæ, nisi prius saltem ratione, assentiatur revelationi Divinæ, ut à DEO testificatæ, quo posito sic urget. Vel intellectus credentis, credit hanc revelationem esse à Deo fide humana, vel divina. Si fide Divinâ habetur intentum, si humana, Contra est. Tum quia revelatio ipsa, ob infallibilem certitudinem quam habet, ut propria locutio Dei, est apta movere intellectum credentis, ad assensum infallibilem fidei Divinæ. Tum quia ab assensu in revelationem pendet assensus in objectum revelatum, qui cum sit fidei Divinæ, non potest pendere ab assensu fidei humanæ.

RESPONDETUR. Nequit intellectus revelatæ veritati assentiri, nisi prius assentiatur revelationi, modo proportionato; hoc est, nisi fide divinâ assentiatur, tanquam motivo credendi ipsi revelationi activæ, passivè autem sumptæ assentiendo, tanquam Conditioni. Casu autem quo ipsa revelatio passiva transeat in speciem objecti fidei, non assentiat illi ipsi ob illam ipsam tanquam motivum formale, quia illa ipsa non est summè infallibilis, cum non sit summa infallibilitas, quæ est Deus, sed assentiat illi, propter revelationem activam.

Obicit quartò idem. Revelatio unit primam veritatem cum objecto revelato, ut locutio externa internam nobis unit, quam nobis manifestat. Si autem unit veritatem primam cum objecto revelato, hoc ipso non erit conditio sed ratio formalis assentiendi. Quod ipsum probat: quia pura Condicio, nullam vim motivam in ordine ad effectum causandum confert causæ, sed solum tollit aliquod obstaculum, quod causam impediēbat, ne suam virtutem circa effectum exercere possit. Revelatio autem, specialem vim motivam primæ veritati confert, ad movendum proximè intellectum credentis, quia revelatio, non solum applicat primam veritatem intellectui credentis, sed etiam illi communicat suam infallibilem certitudinem, quam ut locutio externa Dei, ab ipso directæ & imperata, habet.

RESPONDETUR. Si paritas teneat de locutione externa, illa pro nobis est: sonus enim vocis, non est motivum formale credendi, sed Auctoritas formantis illum sonum. Negatur etiam Minor, nempe quod revelatio passiva communicet infallibilitatem veritati primæ, habet enim illam veritas prima de se, nec perficitur à Creatis. Objecto etiam credendo revelatio passiva non adfert summam infallibilitatem, hæc enim soli Deo comperit. Hinc revelatio passiva, aufert nonnisi obstaculum: quia scilicet ad internam Dei dictionem, quæ est motivum formale, pertingere non possumus, nec se illa nobis in hac vita immediate unit, nisi illâ mediante.

Punctum Difficultatis 3.

De reliquis Fundamentis.

Obicit Quintò Quidam. Divina revelatio debet esse saltem motivum partiale fidei; quia Divina revelatio, est talis, ut ante illam, nihil prius possit in actu secundo movere ad assensum fidei, & habet talem cum credendis connexionem, ut si quid de illis dixerit, necesse sit illa credenda, non aliter se habere. Quod totum fundatur in hoc principio: quia omne medium ac motivum noscendi aliquid, idè est medium vel motivum, saltem partiale, quia sine eo nihil prius movet, & cum noscendo necessariò connectitur. Quod autem ante revelationem nihil sit, quod prius moveat. Probatur: quia hoc esset veritas prima; hæc autem ante revelationem non movet; nam & ipsis Prophetis, æquè impossibile fuit moveri ad credendum; sicut impossibile est moveri Auctoritate Petri, sine ipsius dictione. Quod verò etiam revelatio, necessariam habeat connexionem cum credendo, probatur: quia etiam illi, nullà vi, potest subesse falsum.

RESPONDETUR. Immeritò assumi præcisè tanquam notam partialis motivi, nihil scilicet esse, quod prius moveat. Nam Major prius movet

(f)

ad